



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Quomodo species, genera, & aliquæ proprietates possint Situi attribui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

quem in tota disput. precedenti declarauimus. Iuxta quam sententiam omnia, quæ in superiori disputatione dicta sunt, ad situm essent accommodanda, exceptis quæ pertinent ad extrinsecam denominationem loci continentis. Quæ sententia posset probabiliter defendi, nos autem illam non sequimur. Primo, quia Arist. semper dixit, proprium terminum localis motus esse Vbi, motus autem localis primo. & per se terminatur ad illum modum intrinsecum. Secundo, quia ille modus in genere sumptus, est communis corporibus & spiritibus, vt declarauimus: situs autem proprie non tribuitur rei spirituali, imo neq. omnibus corporalibus, vt infra declarabimus, cum tamen Vbi proprie omnibus tribuatur. Tertio, quia sola illa denominatio extrinseca essendi in loco continente, non est sufficiens ad constituendum prædicamentum distinctum à reliquis, vt in eadem disput. sect. 2. explicatum reliquimus.

Quomodo situs & ubi ratione differant.

IX. **I**gitur dicendum cenſeo formam situs, seu positionem, quæ dat denominationem huius prædicamenti, esse ipsum Vbi sub diuersa ratione conceptum, ita sicut ad distinguendam actionem & passionem, sufficit distinctio rationis, ita hic sufficit inter situm & Vbi. Constituit autem distinctio rationis in hoc, quod Vbi vt sic solum dicit illum modum quatenus constituit rem præsentem alicubi, & ideo nos semper explicamus ipsum Vbi per relationes distantie, aut propinquitatis, vel intimæ præsentie, quia solum illud concipimus, vt fundamentum earum. At vero situs vt sic dicit illum modum vt denominat, em re ita dispositam in se, dispositione quadam resultante ex locali coordinatione partium. In qua denominatione non attenditur ratio præsentie, nec ordo ad spatium proprie, sed ordo partium inter se: ordo (inquam) non prout dicit relationem prædicamentalem, sed prout est fundamentum eius. Quod satis significauit Arist. 5. Metaph. c. 19. ubi ait, *Dispositio est ordo habentis partes*, & ponens primum membrum, addit, *aut loco*, ubi omnes intelligunt propriam formam huius prædicamenti. Est ergo situs quædam dispositio situalis seu localis conſurgens in toto ex tali partium vocatione: quæ dispositio, quamuis in re non sit alicui distinctum ab illo modo qui est Vbi, à nobis tamen concepitur per modum cuiusdam formæ distinctæ, quæ diuersum modum denominationis & prædicationis habet, quod satis est ad distinctionem prædicamenti em.

X. Et hoc etiam confirmat exemplum de quantitate, nam positio partium in toto, vno modo solum dicit extensionem partium continuarum, & sic pertinet ad differentiam essentialē quantitatis cōtinuæ, & ideo non potest nouam rationem prædicamentalem constituere. Alio vero modo potest illa positio sumi pro dispositione totius resultante ex tali extensione partium, & coordinatione earum in se, & sic illa dispositio habet diuersam rationem prædicamentalem à quantitate, non est tamen alia nisi figura, & multi de hac exponunt tertium membrum dispositionis positum ab Arist. citato loco, quod formam vel (vt alii vertunt) speciem appellat: & ita videtur exponere D. Thom. Ad hunc ergo modum comparatur situs ad Vbi in his rebus, quæ illius sunt capaces. Est tamen discrimen, nam figura est magis distincta à quantitate, quam situs ab Vbi, eo quod quantitas propria & veram realitatem habeat, cuius modus est figura, & separabilis ab ipsa. Vbi autem est tantum quidam modus, & situs est veluti modus eius, & ideo non est in re modus distinctus, sed ratione tantum, vel quia modus non modificatur per alium modum, & procedamus in infinitum, vel quia est ita intrinsecus, vt sit omnino inseparabilis. Atq. hæc sententia sic expolita solum confirmatur impugnatio-

Tom. II. Metaphys.

ne aliarum, & à sufficiente enumeratione, & quia ex sola expositione data est per se verisimilis, & consentanea modo concipiendi & loquendi de his rebus, & sine villo inconuenienti.

Solum potest obici, quia homo in vacuo existens non esset capax situs, habet autem Vbi, vt supra diximus: ergo etiam in re sunt hæc duo separabilia: imo etiam concluditur situm non constitui per solam denominationem extrinsecam, cum egeat aliquo extrinseco aut circumſcribente aut sustentante, vel aliquo simili. Antecedens patet, quia si quis esset in vacuo, non posset dici sedere, etiam si in modo sui Vbi haberet eadem dispositionem & quasi figuram, quam nunc habet dum sedet. Similiter etiam esset electo corpore, non posset dici stare, magis quam iacere, nam si attente consideretur corpus iacens aut stans, non differt quoad localem dispositionem, quæ in corpore eius resultat ex positione partium, sed differt tantum in modo quo est dispositus in ordine ad illud corpus à quo sustentatur, quæ diuersitas non posset in vacuo intelligi. Respondeo, verum quidem videri in his denominationibus prout sunt in communi vsu, interdum admisceri extrinsecas denominationes vel habitudines, quamuis illæ non sint, quæ prædicamenta em rationem constituunt. Vt nomen situs etiam est æquiuocum, & interdum, vt dixi, sumitur substantiue pro illo loco, in quo res sita est, & non semper pro loco adæquato, sed pro illa parte terræ in qua res sustentatur, vt si dicamus situm corporis Christi in celo esse illam partem superficiæ connectæ cœli Empyreæ, quam suis pedibus contingit. Sic igitur, cum quis dicitur sedere, ibi possunt coniungi, duo, scilicet quod habeat talem dispositionem sui corporis, & quod habeat sedem in qua sustentatur: prior ratio est, quæ per se pertinet ad prædicamentum situs, quam posset quis habere etiam in vacuo: posterior autem non spectat per se ad prædicamentum, quia non sumitur ex aliquo, quod se habeat per modum formæ, sed solum per modum causæ extrinsecæ sustentantis, vel potius impediens ne corpus aut partes eius ulterius descendant. Vnde si homo esset rectus in vacuo secundum dispositionem intrinsecam stare diceretur. Non quidem in ordine ad corpus extrinsecum sustentans sed quia ipse partes corporis inter se ita essent dispositæ & ordinatæ, sicut nunc sunt in homine, qui stare dicitur: quod à nobis explicari non potest, nisi per relationes aut effectus aliquos, scilicet, quia vna pars esset sub alia, & quasi sustentaret illam, vt pedes, crura, & sic de aliis. Neque aliter posset homo in vacuo constitui, saltem naturaliter.

SECTIO II.

Quæ subiecta, species, aut proprietates huius prædicamento tribui possint.

Hic breuiter expeditur reliqua, quæ de hoc prædicamento desiderari possunt.

De subiecto situs.

Primum est, quibus rebus attribui possit situs. Dicendum est enim in primis, non posse attribui rebus incorporeis, quia est dispositio totius, resultans ex ordine partium in loco: res autem incorporea non habet partes, sed tota est in toto, & tota in qualibet parte. Vnde non est satis, quod eius præsentia sit in aliquo modo diuisibilis, & habens partes in ordine ad spatium, quia cum tota substantia sit sub qualibet parte illius præsentie, nulla peculiaris denominatio aut situalis dispositio inde resultat in tali re, præter hanc, scilicet esse præsentem maiori vel minori spatio. Et ideo supra non diximus situm idem-

Hhh 3

tificari

tificari cum quolibet Vbi, sed cum illo, in quo potest reperiri.

III.

Deinde est certum, situm maxime proprie conuenire animalibus, in quibus sunt partes diuersarum rationem ac figurarum, & ex propria & intrinseca virtute diuersimode componi possunt, aut disponi in ordine ad locum. In a iis vero rebus, præsertim si vniformes sint seu homogeneæ, non ita facile potest distingui situs ab vbi, saltem considerando solam ipsam dispositionem internam, non autem externam, partium absque habitudine ad alia corpora vniuersi. Nihilominus tamen potest in eis considerari aliqua ratio situs, quæ consistat in ista dispositione partium inter se quamuis per analogiam, vel proportionem ad ordinem vniuersi à nobis explicetur. In ipso enim vniuerso, quatenus est aliquo modo vnū, & quasi artificiatum quoddam compositum, ex congruenti dispositione suarum partium, intelligi potest quidam situs, & quasi dispositio totius ratione cuius diuersa corpora dicuntur habere diuersum situm in vniuerso. Qui quidem situs in vnoquoque corpore partialis est respectu vniuersi, tamen respectu talis corporis est totalis, conflurgens ex partialibus sitibus suarum partium, & sic quodlibet corpus habet suum situm quatenus partes eius habent superiorem vel inferiorem locum inter se, & in ordine vniuersi. Quamuis enim situs non consistat intrinsece in his respectibus, non tamen potest à nobis eius ratio sine illis exponi. Vnde etiam in animalibus, non potest positio omnino præcindi ab his respectibus: nam qui rectus stat ordine naturali suarum partium diuersum situm habere censetur ab eo, qui inuerso ordine caput habet inferius, & pedes superius, etiam si alioqui haberet corpus æque extensum, & in eadem figura dispositum. Sic igitur potest situs inueniri etiam in corporibus inanimatis, maxime tamen attribui solet iis, quæ habent partes diuersarum rationum. Vnde etiam corpora artificialia quatenus diuersis partibus constant, positionem & situm habere censentur, ut domus, in qua fundamentum est inferius, tectum superius, &c. modo & exercitus eo modo, quo est vnū quid suam habet positionem, quando ordinate constitutus est, non quod positio sit ratio ordinis, sed quod ex partibus sic ordinatis talis dispositio totius conflurgat.

IV.
Quæ sint
species si-
tus.

Ex his facile est intelligere sub hoc genere positionis plures species distingui posse quas breuiter colligit Albertus libro de sex princip. tract. de positione, cap. 1. dicens, differentias subalternas huius prædicamenti, esse æque, vel non æque poni seu flexe, aut recte: speciales vero differentias esse sessionem, stationem, & cetera quæ etiam nunciat asperum, & leue in cap. 2. Quod etiam habet Diuus Thomas opuscul. 48. Vnde etiam videtur sequi, ut idem Albertus obicit dicto capite 2. etiam curuum vel rectum, prout præcise oriuntur ex positione partium in loco pertinere ad prædicamentum situs quia etiam illæ differentie dicunt quandam dispositionem totius, conflurentem ex positione partium, quod admittere non est magnum inconueniens, nam reuera statio & sessio ratione rectitudinis & curuitatis maxime differunt, non quod ipsa figura ut sic sit positio, & pertineat ad hoc prædicamentum, sed illa dispositio totius in ordine ad locum secundum talem ordinem partium, ex qua sequitur talis figura. Quocirca sicut species figurarum, & habitudines partium secundum partialia loca, possunt infinitis modis variari & disponi, ita species situs innumeris modis variari possent.

V.
Quæ pro-
prietates
situs.

De proprietatibus autem situs plura disputat Albertus supra capite 3. 4. & 5. quæ breuiter colligit Diuus Thomas dicto opuscul. capite 2. Et in primis illi attribuunt illas duas communes proprietates, scilicet non habere contrarium, & non recipere magis & minus: de quibus nihil occurrit addendum, præ-

ter ea, quæ de Vbi dicta sunt: nam licet vna positio repugnet alteri, illa non est propria contrarietas, sed scilicet eadem diuersitas, sicut etiam vna figura repugnat alteri. Potest autem attribui his speciebus situs illa oppositio, quæ est inter terminos motus quatenus homo exstante sit sedens, & sic de aliis, tamen etiam illud non est primario ratione situs ut sic, sed ratione Vbi, quia ut diximus, motus localis per se primo est ad Vbi. Addunt vero eum Gilberto Porret. maxime proprium esse huius prædicamenti, proxime assidere substantiæ: & vim faciunt in verbo assidendi, prout distinguuntur à verbo inhaerendi. Sed non censo hanc proprietatem esse necessariam, quia etiam si sub illo verbo assidendi comprehendamus omnem modum vel relationem aut denominationem, quæ non supponit propriam & rigorosam inhaerentiam, immediatus assidet substantiæ corporæ (de qua est sermo) Vbi, quam situs. Sed hæc parui momenti sunt, & ideo de hoc prædicamento dicta sufficiunt.

DISPUTATIO. LIII.

De habitu ut quoddam genus accidentis
constituit.

Hanc vocem *habitus* supra disputatio. In qua-
ne 40. de speciebus qualitatis differen-
do explicuimus. Vnde omnia illa li-
gnificatione, qua vel dispositionem
quodlibet permanentem corporis aut
animæ vel propriam quandam speciem qualitatis
significat hic agendum est de altero significato eius,
quod censetur esse peculiare genus entis, cuius com-
munem rationem primo declarabimus, deinde bre-
uiter, quæ ad subiectum, species, & proprietates eius
spectare videbuntur.

SECTIO I.

Virum habitus sit aliquid extrinsece denominans,
& quale illud sit.

In hoc prædicamento explicando eadem est diuersitas opinionum, quæ in aliis sex. Omittenda vero est opinio, quæ coniungit absolutum cum respectu prædicamenti, quia eius impugnatio eiusdem rationis est in omnibus his prædicamentis. Omitto etiam opinionem de relationibus extrinsecis aduenientibus, propter eandem causam, & quia sic hic interuenit aliqua relatio, illa intrinsece sequitur positum termino & fundamento proximis, ubi debito modo explicentur.

Opinio Gilberti, & definitio habitus,
expenditur.

Superest ergo tantum tractanda opinio, quam insinuat Gilbertus, & aliqui sequuntur, nimirum quod habitus sit quoddam accidens, quod resultat in corpore vestito ex adiacentia vestimenti, ita enim exponunt illam definitionem Gilberti, *Habitus est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt, adiacentia*. Ecce potest hæc sententia confirmari ex Aristotele 5. Metaphysicorum ca. 20. ubi ait habitum esse quandam actum medium inter habentem & rem habitam: sicut actio (inquit) mediatur inter agens & effectum, sic inter eum, qui vestem habet, & vestem quæ habetur, medius est habitus: unde infert ipsum habitum haberi non posse, scilicet alio habitu medio, ne in infinitum abeat. Igitur ex sententia Aristotelis, habitus